Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2651

Quelle:
Copyright:

tembr. In die ſancti Egidij in Opido noſtro Wiſſaw, teſtaturque ſtudium promovendae Religionis et morum diſciplinae in *Wenceslao* noſtro *Kralikio*, cui paullum iniquior fuiſſe videtur *Auguſtinus Küſenbrot* dictus *Olomucenſis* ſ. *Moravus* in *Cat. Epp. Olomuc.* qui et in eo lapſus eſt, quod vitam illius ad an. usque 1426. protulerit, ut bene obſervat Cl. *Monſe ſuprac.* ad p. 56. jam enim in Decreto *Seſſ.* XXV. Concil. *Conſtant.* 14. *Dec.* 1416. dato, quo *Johanni* Ep. *Litomiſſlenſi* Commenda Eccleſiae *Olomucenſis* defertur, *Wenceslaus* defunctus dicitur.

IX. *fol.* 223. adjecti ſunt *Sermones* Anonymi de *Corpore Chriſti*, de *Angelis*, de S. *Andrea*, *Nicolao*, *Lucia*, et *Dominica infra Aſcenſionem*, qui fortaſſis et ipſi ad M. *Stanislaum de Znoyma* pertinent.

DCXCIV.

239 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 214. f. per duas columnas ſcriptus continet: I. *Sermones* breves in omnium totius anni Dominicarum *Epiſtolas* et *Evangelia.* Autorem ignoro. *Sermo* I. incipit: *Veni domine ihesu. Apok. vlt. Licet circa ſolas dominicales epiſtolas* (et evangelia) *velim hic negociari, ut ex hoc ad compillandum ſermones de maioribus feſtiuitatibus et de ſanctis reddar exercitatior, tamen quia me omnium aliorum vltimum et infimum eſtimo, vix de ultimis loqui decet. Ideo ultimum verbum de tota biblia in principio huius opuſculi aſſumo* &c. Ultimi Sermonis terminus: *Sanctum et terribile nomen eius. Et ſic liber iſte eſt finitus, de quo ſit altiſſimus in ſecula ſeculorum benedictus et pia mater eius. Deo gratias in eternum.* 1454.

II. *fol.* 143. absque Titulo ullo: *Sermones Dominicales* per totum annum, et quidem, ut ad calcem notatur: *Anthonij Parmenſis.* Initium Sermonis primi: *Cum appropinquaſſet Ihesus Iheroſolimam &c. Math. 21. Nota quod deus promiſit olim abrahe et poſtea dauid, quod filius eius carnem ſumeret de progenie ipſorum* &c. Citantur Sermones hi a *Trithemio n.* 747. quinimo et *Codex* noſter praeſens ab *Oudino* T. III. col. 2239. ex *Lambecii* ſcilicet L. II. p. 775. Sed utinam illi librarius Autoris conditionem adjeciſſet; video enim Bibliographos in diverſum abire, dum alii duce *Trithemio* cit. *Antonium Camaldulenſis* ordinis generalem faciunt, alii ordini *Praedicatorum* adſcribunt autoritatem *Codicum Mſſ.* cum *Quetifo* in *Scriptt.* hujus Ord. T. I. p. 530. ſecuti. In quorum partes me vehementer inclinari ſentio, cum, quod omnia, quae de *Antonio Camaldulenſi* referunt *Oudinus* cit. et *Magnoald. Ziegelbauer* in *Centifol. Camald.* p. 10. multum fluctuant et incerta ſunt, tum, quod *Sermones* noſtri nihil ejus eruditionis et eloquentiae ſpirant, quam hi in *Antonio* ſuo *Camaldulenſi* commendant, quem fortaſſis inſuper cum *Ambroſio* Ca-